

sima, cujus semina habui ex America septentrionali, proxime accedit Serratulis facie et fructificatione, sed stamina sunt distinctissima, et singula anthera dum dehiscit refert corollam Aristolochiae. hanc Kuhniam dicam ab eo qui attulit.

Non credis novarum specierum ortum. hoc arbitrarium est. an crederes Musam esse plantam hybridam; ego convictus sum. sed nescio parentes, an mater posset Bihai esse.

An velles proximo vere observare dies, quibus prima folia erumpant in vestratibus arboribus? ego observabo in meis, et collatis cum Tuis videbo quomodo vestrum clima differat a nostrate.

In 6^{to} tomo Amoenitatum, qui proxime prelum subibit dabo sequentes dissertationes.

Generationem ambigenam.	Diaetam acidularem.
Genera morborum.	Potum Coffeae.
Politiam naturae.	Inebriantia.
Theses medicas.	Morsuram serpentum.
Floram Belgicam.	Terminos botanicos.
Anthropomorpha.	Alstroemeriam.
Plant. rar. capenses.	Nectaria florum.
Macellum olitorium.	Fundamenta fructificationis.
Prolepsin plantarum.	Reformationem Botanices.

Habeo ex seminibus enatam istam arborem quam delineavit *Pluk. phyt. 176. f. 4.* cujus fructus pentacoccus margaritarum orientalium colore. Si novisti hujus genus quaeso me doceas.

Zygophyllum arboreum tuum vidi ex figura Tua diversissimum esse a mea Quassia (amarissima ista polychresta radice) quam habeo in horto, et refert Sapindum habitu.

Mandubi semina protulit, sed floruit et periit.

Lichenem saccatum (Dill. musc. t. 30. f. 121.) vidi et nominavi in Flor. succ. 2. n. 1102. Lichen saxis humidis umbrosis; forte *Ulya* Dill. musc. t. 10. f. 16? *Asplenium*